



*Introductio Authoris.*

Votorum suorum metam attigisse sibi visa est sacra sponsa, quando intimos pectoris sui sensus hisce verbis explicuit, arcanorum mysteriorum plenis. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi; Et fructus ejus dulcis gutturi meo* (a) At enim hæc arbor vitæ, quam animæ sanctæ tantopere desiderarunt, quæ demum est alia, atque arbor crucis, quam olim quidem in monte Calvariæ plantavit Christus; postmodum vero, cum Missæ Sacrificium institueret, ad hortum Ecclesiæ suæ transtulit, ut vitam Christianis daret, mortemque, quam solum affert peccatum, procul arceret. Et quænam est illa umbra tam jucunda, nisi Sancta Fides? Quinam fructus illi tam dulces, nisi illa gratiarum copia, quas ubertim legunt, qui tremendis his mysteriis devote assistunt. Aliter si eveniat, penes

(a) Cant. 2.

nos est culpa, qui sub hac umbra confidere nolumus, sed moram omnem pertæsi alio transilimus: qui hos fructus non digerimus, sed integros deglutimus: unde fit, ut umbra non sit refrigerium spiritus; ut fructus palato non sapiant, atque adeo cordi parum utiles existant. Non confidemus, quia prærogativas hujus cœlestis arboris matura consideratione non expendimus: non masticamus divinos hos fructus, quia exterioribus plerumque ceremoniis contenti, parum aut nihil curamus de animi præparatione, nec ruminamur seria cogitatione, quanta nobis inde bona obvenire possint.

Atque hic abusus in causa fuit, cur animum ad scribendum adjecerim, & in parvo opusculo cum pretium Divini hujus Sacrificii, tum immensos, quos in se continet, thesauros, denique & facilem proponere methodum decreverim, qua fructus copiosos legamus.

Divisus est Libellus in partes duas: in prima exponuntur excellentiæ divini hujus

6  
jus Mysterii: porro ut major sit claritas  
minusque tædium, proponuntur distinctæ  
in totidem considerationes, quot sunt dies  
hebdomadæ. Pars altera docebit praxin,  
qua quis utiliter ac fructuose interesse pos-  
sit rei Divinæ.

Reliquum est, mi Lector, ut hoc san-  
ctum exercitium magno animo aggrediaris,  
& veritates, quas tibi propono, affectus-  
que, quos suggero, non perfunctorie tan-  
tum percurras, sed ad nucleum usque pe-  
netres, & in animum tuum alte demittas.  
Ditissimæ aurifodinæ non in plano solo,  
sed imis terræ visceribus deprehenduntur.  
Quod si teste sancta Maria Magdalena de  
Pazzis sacra Eucharistia, si vel semel cum  
debita vivæ fidei ardentisque charitatis dis-  
positione suscipiatur, abunde sufficiat, ut  
Sanctos nos efficiat, quæ quantaque bona  
tibi sperare poteris, si diebus singulis sin-  
gulari cum pietate vel peragas, vel audias  
Sacrificium Missæ, ubi non Sacramenti so-  
lum, sed ipsius etiam Sacrificii gratiam  
virtutemque consequeris? Equidem mihi  
penitus persuadeo, si ad ea, quæ hic sub-  
jicio,

jicio, diligenter advertas, fore te ex eorum numero, de quibus dici possit, quod omni spiritualium divitiarum copia per Jesum Christum fuerint locupletati. *In omnibus divites facti estis in Christo.* (a) Nulla jam Virtus tam alto loco erit posita, quo non possis pertingere: nullum erit auxilium gratiæ, quod non possis obtinere: nullum bonum erit tam eximium, quod non possis fidenter sperare. *In omnibus divites facti estis in Christo.*

(a) I. Corinth. I. 5.